DE CONSECUTIONE TEMPORUM PLAUTINA ET TERENTIANA.

COMMENTATIO GRAMMATICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE [illegible] MENSIS [illegible] A. *MDCCCLXXXVIII*

IN PUBLICO DEFENDET

ADOLPHUS WIRTZFELD

RHENANUS.

SIEGBURGIAE.

TYPIS FRATRUM DAEMISCH.

MDCCCLXXXVIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS SACRAS

ESSE VULT SCRIPTOR.

Ex medio fere hoc saeculo multi viri doctissimi, Ritschelii imprimis scriptis impulsi rationeque ducti, omni cum diligentia ingeniique acumine fabulas Plautinas et Terentianas, illa monumenta, quae ex antiquissimis litterarum Latinarum temporibus gravissima exstant, alii aliam partem, perscrutati sunt.

Atque inter libros de Plauti et Terentii genere dicendi conscriptos Caroli Rothe commentatio mihi nominatim[1]) afferenda est, qua de eadem re quam tractandam mihi proposui inquiritur. Itaque qua causa motus iterum de consecutione temporum Plautina et Terentiana scribere animum induxerim cum rationem reddi consentaneum sit, de illo libello nonnulla verba faciam. Scriptor enim ea disserendi ratione se usum esse dicit qua „non „quemadmodum vulgo a grammaticis fieri soleat, a certis „fixisque ordinibus normisque universis proficisceretur „disputaturus, sed ab exemplis singulis, quae ad usum „solemnem non essent accommodata et eis ex nexu „sententiarum quo legerentur declarandis.“ Qua via inita primum quidem certa rerum dispositio desideratur; praecipue vero cum solum ex nexu sententiarum causas temporum trahens interpretari nimis subtiliter saepe cogatur, Plauti quidem generis scribendi naturam atque ingenium saepius neglegit. Nam qui ita interpretatur, elaborasse diligenter sententias poetam censet. Quod

[1]) C. Rothe, quaestiones grammaticae ad usum Plauti potissimum et Terentii spectantes, Berol. 1876.

studium etiamsi Terentii fabulae prae se ferunt, Plauto tamen liberum ac neglegentem sermonem plebeium exprimenti deesse inter omnes constat. De eiusmodi autem sermone Lorentio assentior sic iudicanti[1]:

„Die Umgangssprache aufgeweckter und nicht ungebildeter „Menschen verleiht, zumal in bewegten Scenen, nur der „augenblicklichen Erregung Ausdruck, je nach den in rascher „Reihenfolge aufsteigenden Bildern der Einbildungskraft oder „nach dem schnell dahinwogenden Strome der Gedanken, ist „also von logisch scharfer Fassung weit entfernt."

Atque praeterea nonnullis locis, quorum tempora usui repugnant, metri legibus cedere poetam existimo. Nam hoc Rothio (p. 25) concedo „Homericos quidem „poetas sibi indulsisse non putandos esse, ut metri causa „novas formas fingerent et in usum reciperent", sed quantum a Graeca Homericorum temporibus lingua distat Latina Plauti aetatis! Illa enim natura iam numerosior atque mollior poesis cultu qui Homericis antecesserat cuiusque vestigia nominibus Orphei, Thamyris, Musaei Eumolpi aliorumque restant, metris erat accommodata, haec natura gravis et dura inculta fere poesi manserat. Neque illud parvi faciendum esse arbitror, quod, cum illi poetae metris ex suae linguae indole ac numero ortis usi sint, Latini poetae prisci aliena quasi vincula linguae iniecerunt.

Maiorem denique utilitatem habere videtur mihi ea ratio qua quae sint apud Plautum et Terentium leges consecutionis temporum eo ordine explanatur quem in universum grammatici servare solent. Hoc modo ea pars Plautini et Terentiani generis dicendi tota perspicitur et quomodo discrepet cum posteriore usu dilucidius intellegitur.

---

[1]) Jahresbericht über d. Fortschr. der klass. Altertumswissenschaft, vol. VI (a. 1876) par. 2, p. 18.

His igitur causis commotus de consecutione quae dicitur temporum Plautina et Terentiana fusius disserere non dubitavi. In ea perquirenda hanc sequar rationem, ut primum exemplis allatis cognoscatur usus apud poetas solemnis, deinde qui loci quaque de causa meo quidem iudicio huic usui adversentur addatur.

---

§ 1.

In omnibus fere enuntiatis secundariis quae coniunctivum postulantia praesenti tempore (praeter historicum praesens, vid. § 6) reguntur, id ponitur tempus quod tum quoque si illa non penderent adhiberetur.

1. Atque primum quidem liceat mihi paucos eorum locorum, quibus praesentis vel perfecti coniunctivus sequitur praesens, afferre:

Pl. Trin. 140 sqq.[1]: Subigis maledictis me tuis, Megaronides,

— — — — — — — — — —

Ut mihi necesse *sit*...

Ter. Andr. 405: Hic nunc non dubitat, quin te ducturum *neges*.

Dicat fortasse quispiam hunc locum legens futuri coniunctivum exspectari. At praesenti utitur servus, quia e senis verbis versus antecedentis eum credere intellegit Pamphilum nunc cum servo deliberantem negare.

Ter. Hec. 101: sed firmae hae vereor ut *sint* nuptiae.

Pl. Trin. 210 sq.: Falson' an vero *laudent*, *culpent*, quem velint,
Non flocci faciunt, dum illud quod lubeat *sciant*.

---

[1]) In locis citandis editionem Frid. Ritschelii, partim ab eo ipso curatam, partim a sociis eius Loewio, Goetzio, Schoellio continuatam sive recognitam secutus sum. Paucos autem Casinae et Cistellariae versus editione I. L. Ussingii usus attuli.

Loci Terentii ex editione Fr. Umpfenbachii citantur.

Ter. Heaut. 555: quae *sit* eius aetas, vides.

Pl. Aulul. 729 sq.: nunc mi incertumst, Cf Aul. 264
Abeam an *maneam*, an *adeam* an *fugiam:*

Pl. Trin. 543: nemo exstat, qui ibi sex menses *vixerit.*

Pl. Merc. 385: Non vereor ne illam me amare hic
potuerit resciscere.[1])

Ter. Eun. 81 sq.: vereor ne illut gravius Phaedria
Tulerit neve aliorsum atque ego feci *acceperit.*

Pl. Merc. 700 sq.: Miserior mulier me nec fiet nec fuit,
Tali viro quae *nupserim.*

Enuntiatum relativum cum „me" ablativo, qui sententiam „quam ego sum" amplectitur, coniunctum est.

Ter. Heaut. 554: Neque eo nunc dico, quo quicquam
illum *senserim.*

Pl. Trin. 207: Sciunt quid in aurem rex reginae *dixerit.*

Ter. Andr. 35 sqq.: a parvolo ut semper tibi
Aput me iusta et clemens *fuerit* servitus
Scis.

2. *Futuri* coniunctivi circumlocutio his locis invenitur:

Pl. Epid. 377: Haec scitis iam ut *futura sint.*
Merc. 572: Scis quid *acturus sim.*
Poen. 817: Exspecto, quo pacto meae techinae
processurae sient.
Truc. 337 sq.: quasi volturii triduo
Prius praedivinant quo die *essuri sient.*[2])

---

[1]) Brixium sequor „illam" servantem deleto „iam" (Philol. vol. 12 [a. 1857] p. 654.)

[2]) Pro codicum lectione „quo die eusi" Frid. Schoell „quid comessuri" proposuit et in textum recepit. Quibus ex verbis si a Plauto scripta sint quomodo illa librorum sint facta intellegere non possum. Sed ut eadam ratione motus Bergkii „de quoio essuri" et Loewii „quo loco essuri" coniecturas omittam, mihi quidem „quo die" quod libri tradunt posse defendi videtur. Diniarchus enim illa comparatione comprobat quamobrem „iam" potissimum ab illis militem exspectari contendat.

Bacch. 722: Nescis quid ego *acturus sim* neque facinus quantum *exordiar*.

„Acturus sim“ ad totum dolum qui efficiendus est pertinet, „exordiar“ autem ad apparationem doli quae nunc Chrysali iussu fit.

Ter. Hec. 193: Nisi sane curae est, quorsum *eventurum* hoc *siet*.

Hec. 614: Quia de uxore incertus sum etiam quid *sim facturus*.

Adelph. 514: Si est, is *facturus* ut *sit* officium suom, Faciat.

Sed haud ita raro praesentis pro futuri coniunctivus usurpatur, praesertim si in sententia primaria verbi notio ad futurum iam spectat, qua de re conf. § 8.

Talis futuri significatio inest in verbo exspectandi. Atque is qui loquitur modo praesens actionis exspectandi, modo futurum tempus quo quod exspectatur fieri cogitat mente tenens ad praesens „exspecto“ promiscue coniunctivum praesentis et futuri adiungit:

Pl. Trin. 98: Exspecto siquid *dicas*.

Ter. Phorm. 161: Dum exspecto quam mox *veniat*.

Phorm 606: Exspecto quam mox *recipiat* sese Geta.

Verba autem timendi significant exspectationem cum timore mixtam his locis:

Ter. Andr. 274: Misera timeo „incertum“ hoc quorsum *accidat*. 6/

Andr. 419: Nunc nostrae timeo parti, quid hic *respondeat*.

Phorm. 178: timeo miser, quam hic mihi nunc *nuntiet* rem.

Is qui loquitur quod quae fient perspicit, ea ut praesentia effingit:

Ter. Andr. 385: Ex ea re quid *fiat*, vide.

Andr. 498: quid *agam* habeo.

Pl. Aulul. 106: sed quid *agam* scio.

In versu Ter. Andr. 731:

Move ocius te ut quid *agam* porro intellegas.

adverbio „porro“ actio interrogationis obliquae indicatur futura.

3. Imperfecti et plusquamperfecti coniunctivum habent imprimis interrogationes deliberativae obliquae quae ad praeteritum pertinent, et quae enuntiantur irreales sententiae secundariae.

Pl. Merc. 633: Quid tu *faceres*, men rogas?

Rud. 379: rogas quid *faceres*?

Trin. 992: Di me perdant si te flocci facio an *periisses* prius.

Andr. 963: nemost, quem *mallem* [1]) omnium,

quo loco opprimuntur verba „videre nisi eum viderem.“ Atque eadem protasis est addenda (pronomine „eum“ in „te“ mutato).

Eun. 561: Nemost, quem ego nunciam magis *cuperem* videre quam te.

Praeterea videas Stich. 253—255, qui versus tractabuntur § 9 Aα.

4. Enuntiatum secundarium neque irreale neque deliberativum est, sed praeteritam tantum actionem, quae, si sententia per se staret, imperfecto vel plusquamperfecto indicativi exprimeretur, significat his tribus apud Terentium locis:

Phorm. 380 sq.: Quem amicum tuom ais fuisse istum, explana mihi,

Et qui cognatum me sibi esse *diceret*.

Quod Dziatzko ad hunc locum dicit, quia perfectum „fuisse“ antecedat et Stilpo iam mortuus putetur, *verbum regens* ad praeteritum cogitatione referri, assentiri equi-

---

[1]) Contra omnes Calliopianae recensionis libros, qui „malim“ praebent, lectio „mallem“ Bembini praeferenda est, quia in versu Eun. 561 cum hoc loco plane congruenti eadem adhibetur forma irrealis.

dem non possum. Nam cum verbum regens „explana" in fine, gravissimo versus loco, positum sit, integram praesentis vim auribus ac menti eius qui loquitur in versu insequenti obversari existimo. Itaque secundaria tantum sententia ad praeteritum refertur quo Stilpo vivebat. In qua imperfecto Demipho utitur, quia *saepe* narrasse senem de cognato suo, ut Phormio paulo ante (v. 365 sq.:

saepe interea mihi senex
Narrabat se hunc... cet.) contenderat, cogitatione tenet. Respondet igitur coniunctivus „diceret" indicativo „dicebat" rectae interrogationis.[1])

Phorm. 382: Proinde expiscare quasi non *nosses*.
Phorm. 388: quasi non *nosses*, temptatum advenis.

Parasitus dicere vult Demiphoni notum fuisse Stilponem tum cum in vita fuerit. Quare quoniam perfectum „novi" aliquid praesenti tempore notum esse significat, plusquamperfectum et in versibus 384, 390 et illis duobus locis, ubi postulatur coniunctivus, usurpat.

5. Quibus exemplis apparet post praesens poni coniunctivum eius temporis quo fieri actionem sententiae secundariae cogitetur. In finalibus autem enuntiatis secundariis quorum actiones in futuro sunt, futuri coniunctivus numquam adhibetur, quia non tam quando fiat actio secundarii quam huius actionis exprimitur optatio qua subiectum primarii ad agendum excitatur et movetur inter agendum. Itaque

---

[1]) Horatius quosque, ut iteratos Saganae cum umbris sermones significet, post praesens „memorem" adhibet imperfectum Sat. I, 8, 40 sq.:

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste et acutum?...

Praeterea conf. M. Wetzel, de consecutione temporum Ciceroniana, diss. 1877, p. 8 sq.

cum sententia cum primarii actione quasi coalescat, praesentis coniunctivus sequitur praesens primarii.

Pl. Asin. 267 sq.: Ubi ego nunc Libanum requiram....
Ut ego illos lubentiores *faciam* quam Lubentiast?

Aulul. 575 sq.: Ut me *deponat* vino, eam adfectat viam.
Post hoc quod habeo ut *conmutet* coloniam.

Trin. 518: Arcano tibi ego hoc dico, ne ille ex te *sciat*.

Ter. Phorm. 933 sq.: Ph.: Fac periclum. Dem.: Ut filius
Cum illa *habitet* aput te: hoc vestrum consilium fuit.

Ad Phormionis verba „fac periclum" enuntiatum finale „ut.... aput te" apponendum est, non ad verba sequentia. Demipho enim parasiti consilium se intellegere putans sententiam eius ironice supplet.

Sententiis finalibus illa quoque annumeranda sunt enuntiata a verbis timendi pendentia quae particulas „ut, ne" continent. Hoc ex eo mihi elucere videtur quod, etiamsi actio cogitanda est futura, tamen sicut in illis futuri coniunctivus non ponitur:[1])

Pl. Merc. 586 sq.: Metuo ego iam uxorem, crassi rure redierit,
Ne illam hic *offendat*.

Aulul. 609: Non metuo ne quisquam *inveniat*.

Ter. Phorm. 325: Vereor, ne istaec fortitudo in nervom *erumpat* denique.

§ 2.

Si ad tempus sententiae primariae, cuius actio in praeterito est, cogitatio

[1]) Kuehner (II. § 189) haec enuntiata esse interrogativa dicit. Sed eo omisso quod particulae „ne" productio suspicionem movet, cur futurum in enuntiatis particulis „ut, ne" instructis evitetur, in enuntiatis autem quae pronomina vel adverbia interrogativa ut „quorsum" continent ponatur (Ter. Heaut. 569; Cic. ad Attic. III, 24) ponatur, non intellego.

s e c u n d a r i a r e v o c a t u r, imperfectum et plusquamperfectum plerumque usurpantur: imperfecto indicatur illius cogitationis actionem eodem atque primarii actionem tempore, plusquamperfecto autem tempore tum iam praeterito factam esse. Sed si is qui dicit sententiam effingere vult talem, cuius actionem in futurum cadere subiectum primarii cogitaverit, futuri coniunctivum abhiberi unus apud Terentium locus comprobat:

Heaut. 569: Ut quidem... metui, quid *futurum.. esset!* Cum imperfecto igitur, perfecto historico, plusquamperfecto regentibus imperfecti et plusquamperfecti coniunctivus enuntiati secundarii coniungitur.

Quod haec confirment exempla:

A. Quae sit consecutio temporum post i m p e r f e c t u m.

Pl. Amph. 1096: Aedes totae confulgebant tuae quasi *essent* aureae.

Pseud.: 912: nimis metuebam, ne *abisses.*

Trin. 657: Scibam ut esse me *deceret.*

Pers. 433: Mirum quin tibi ego *crederem*....

Iis versibus antecedunt verba: „id tibi succensui,
Quia te negabas credere argentum mihi."

Atque ad id tempus quo Toxilo fidem non habuit spectans Dordalus ironice respondet: „Mirum (erat) quin ibi cet." Sic igitur est vertendum: Es war wirklich wunderbar, daß nicht...! „sive" es hätte noch gefehlt, daß...! Quocum loco congruunt Merc. 204, Trin. 967, Most. 493, ubi pro eo quod est in libris 'mirum qui' ex certa Pyladis coniectura recte editur 'mirum quin'. Imperfecti autem coniunctivus quomodo sit interpretandus, difficile est cognitu ex eo quod R. Kuehner de Trin. 967 annotat[1]) vertens „es wäre doch wunderbar, daß..." unde

---

[1]) Ausführliche Grammatik der latein. Sprache, II, § 191, p. 833 not. 4.

eum „mirum quin" verbo „est" supplere efficitur. Quod si verum esset, Plautum usurum fuisse perfecto hic testatur versus:

Cistell. IV, 2, 67 (565): Mirum quin grex venalium
in cistella *infuerit* una.

Itaque apud Plautum si quis affirmare vult supervacaneum esse vel stultum interrogare num quid praeterito sit factum, sive aliquid fieri putasse, aut ex illo praeterito tempore iudicans „mirum (sc. erat) quin" cum coniunctivo imperfecti aut ex suo loquentis tempore dicens „mirum (sc. est) quin" c. coniunct. perfecti adhibet. [1])

Bacch. 676: An nescibas, quam eius modi homini
raro tempus se *daret.*

Forsitan miretur quispiam quod hoc loco, quamquam sententia secundaria omni valet tempore, imperfecti coniunctivus legitur. Sed menti eius qui verba facit illud tempus quo re vera occasio est oblata obversatur.

Ter. Eun. 155: Aut ego nescibam, quorsum tu *ires?*
Eun. 841 sq.: Quasi dedita opera domi erant,
ut nullo modo
Intro ire *possem*, quin *viderent* me.

Huic legi repugnat Amph. 225 sq.:
Convenit *victi* utri *sint* eo praelio,
Urbem, agrum, aras, focos seque uti *dederent.*

Sententia relativa (victi... praelio) cum praesentis actionis cogitatione quae inest in verbo „convenit", cui multo sit propior quam regenti verbo „dederent", quasi coalescit.

---

[1]) Omnes loci quibus „mirum quin" invenitur, praeter citatos sunt hi: Amph. 750, Aulul. 85, Pers. 339, Rud. 1393, Trin, 495.

B. post perfectum historicum.

Pl. Amph. 913 sqq.: Non edepol quo te esse inpudicam *crederem* (sc. ita dixi):
Verum periclitatus sum animum tuom
Quid *faceres* et quo pacto id ferre *induceres*.

Curc. 684: Pessume metui, ne mi hodie apud praetorem *solveret*.

Trin. 1142: Meo adlegatu venit, quasi qui aurum mihi
Ferret aps te, quod darem tuae gnatae dotem.

Ter. Andr. 582: Ego dudum non nihil veritus sum ... ne *faceres*.

Eun. 517 sq.: Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater
Mihi et mater *mortui essent*.

Adelph. 368: Mihi, qui id *dedissem* consilium, egit gratias.

C. post plusquamperfectum.

Pl. Stich. 652 sq.: nam Sticho *mandaveram*,
Salutem ei ut *nuntiaret*.

Pseud. 549: Quin rus ut *irem*, iam heri constitiveram.

Men. 592 sq.: Plus minus quam opus fuerat dicto, dixeram ut eam sponsio
Controversiam *finiret*.[1])

---

[1]) Quomodocumque viri doctissimi versibus, quos integros traditos non esse constat, mederi volunt, et „dixeram“ et „finiret‘. Ritschelii emendatio, probanda mihi quidem videntur. Nam Menaechmus cum de clientis stoliditate iratus hanc potissimum stultitiam eius quae sibi fuerit morae narraturus sit, id quod ipse antea fecit celerius in cogitatione praeterit ideoque plusquamperfecto memorat. „Finiret“ vero solum ad sententiam aptum reor. Quidnam Menaechmo erat maiori curae quam litis finis ut ad tempus cenatum ire posset? Sed facile „finiret“ in „fieret“ corrumpi potuit. Littera enim „n“ a librario neglecta „fieret“ pro „fiiret“, ut verbum aliquid significaret, scriptum esse conicio.

§ 3.

In enuntiatis secundariis cum illis temporibus historicis coniunctis, quorum ad praesens loquentis tempus referuntur actiones vel sententiae eo tempore valent[1]), praesentis coniunctivus et perfecti interdum ponitur.

A. Quod primum in enuntiatis consecutivis fit:

Pl. Bacch. 533: Verum postremo inpetravi, ut ne quid ei *suscenseat.*

Mil. gl. 1138: Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior *sis.*

Bacch. 1021 sq.: Et me meliorem fecit praeceptis suis,
Ut te ei habere gratiam aequom *sit* bonam.

Men. 712: Quid tandem admisi in me, ut loqui non *audeam?*

Cas. I, 17 (105): Praefeci ruri recte qui *curet* tamen.

Ter. Eun. 240: Itan parasti te, ut spes nulla relicua in te *sit* tibi?

Phorm. 263: Atqui nihil fecit, patrue, quod *suscenseas.*

Pl. Mil. gl. 263 sq.: Nam ille non potuit quin sermone suo aliquem familiarium
Participaverit . . . .

Epid. 80: Numquam hominem quemquam conveni, unde *abierim* lubentius.

Conf. Pers. 55 sq. 582.

Ter. Adelph. 855 sq.: Numquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, usus semper aliquid *adportet* novi.

Hoc loco quoniam Demea in sententia primaria de hominibus qui fuerunt iudicare incipit, ut quales fuisse

---

[1]) Cf. Kuehner, l. c. II, § 181, 4, a.

credat significet, pro „adportet“ perfectum sive imperfectum exspectatur. Equidem poetam — nescio an metri necessitate — aoristum gnomicum fabulae Graecae imitatum esse [1]) ratus enuntiatum secundarium accommodari praesenti ex illa sententia quasi effluenti „neque quisquam est“ existimo.

B. Sed in a l i i s quoque ac consecutivis enuntiatis secundariis haec reperitur convenientia temporum:

Aulul. 550: Pol ego ut te *accusem* merito — meditabar.

Brixius praesentis coniunctivo offensus deleto „merito“ et „te ut“ librorum ordine servato „accusarem“ proposuit. Magna autem confusione lectionum librorum et coniecturarum virorum doctorum C. Rothe (p. 27 sq. not. 1.) de hoc versu disseruit. Qui, quod Acidalius iam coniecerat, „meditor“ proposuit, „quamquam qui ex „meditor“ factum sit quod libris praebetur „meditabar“ explicare non habet“, “mene tu” autem, quae verba Acidalius ex mera coniectura addidit, libris tradita esse putat neque se intellegere dicit, quomodo ea in textum irrepserint! Sed librorum lectionem „accusem“, quam servaverunt Goetz et Leo, posse defendi arbitror. Euclio enim interrogatione Megadori, quoniam quod mussitavit id pronuntiare non audet, paullum turbatus et incertus quid respondeat, novam fingens sententiam dicere hanc incipit praesentem, sed animo celeriter collecto imperfecto „meditabar“ significat hanc esse sententiam de qua Megadorus interrogaverit.

Mil. 963 sq.: Egone ut ad te ab libertina esse auderem internuntius.
Qui ingenuis satis responsare *nequeas* . . ?

---

[1]) Cf. Isocr. Philipp. 38: *ἐπὴν δὲ κακῶς ἀλλήλους διαθῶσιν, οὐδενὸς διαλύοντος αὐτοὶ διέστησαν* Areop. 11 c. annot. O. Schneider.

Cas. II, 4, 25 (283) sq.:
Iam metuo, ne Olympionem mea uxor exoraverit,
Ne Casinam *ducat.*

Curc. 558 sqq.: Postquam rem divinam feci, venit in mentem mihi,
Ne tarpezita exulatum abierit, argentum ut *petam*
Ut ego potius comedim quam ille.

Rud. 129 sq.: Duas secum adduxit quique adornavit[1]) sibi
Ut rem divinam *faciat*, aut hodie aut heri.

Plesidippum uti praesenti verisimile mihi videtur, quia leno se sacrificaturum esse eo tempore quo adulescens nunc advenit dixerat.

Trin. 15: Dedi ei meam gnatam, quicum una aetatem *exigat.*

Amph. 195: Me a portu praemisit domum, haec ut *nuntiem* uxori suae.

Bacch. 589 sqq.: Paucis me misit miles ad eam Cleomachus,
Vel ut ducentos Philippos *reddat* aureos
Vel ut hinc in Elatiam hodie *eat* secum simul.

Cfr. Bacch. 575 sq.; Mil. gl. 971 sq.; Ter. Andr. 687 § 9 A, γ. 2.

Quibus de locis vereor ne C. Rothius (p. 15) erret eum qui loquatur quasi e sua ipsum mente sententiam secundariam pronuntiare existimans. Quod statui mihi pronomen reflexivum, quo sententiam esse subiecti primarii significetur, vetare videtur. Me quidem iudice is qui loquitur illa enuntiati formatione subiecti primarii sententiam exprimit talem quae praesenti tempore sit efficienda.

---

[1]) Sic Lambinus recte videtur scripsisse; libri habent 'quique adornaret sibi'.

Ter Eun. 96 sq.: Non pol, quo quemquam plus *amem*
aut plus *diligam*,
Eo feci.

Heaut. 527 sq.: at quasi is non ditiis
Abundet, gnatus eius profugit inopia.

Hec. 683 sq.: Aliquando tandem huc animum ut
adiungas tuom,
Quam longum spatium . . . . tibi dedi!

Haec exempla demonstrant, hoc quoque loco

Pl. Men. 1057: Praecucurristi obviam, ut quae fecisti
infitias *eas*,

poetam non metro coactum praesens adhibuisse, ut Brixius ad hunc versum animadvertit, sed ab usu non discessisse eum, quia actio infitiandi nunc fit.

Sunt loci quibus Plautus, qui sermonis concinnitatem non petat, in enuntiatis ab *eodem verbo* pendentibus modo ad huius verbi praeteritum tempus sententiam revocans imperfectum ponat, modo ad praesens quo sententia valet spectans praesenti utatur:

Bacch. 352 sq.: Ita feci, ut auri quantum vellet *sumeret*,
Quantum autem lubeat reddere ut *reddat* patri.

Bacch. 689 sq.: Mn.: Ego patrem exoravi . . .
Chr.: Nempe ergo hoc ut *faceret*...?
Mn.: Immo tibi ne *noceat* neu . . .
succenseat. [1])

---

[1]) C. Rothe (l. c. p. 5) „alterum membrum ‚ne noceat' ... per se stare" contendit eiusque rei exempla affert quae cum hoc loco non plane congruunt. In quibus alteri sententiae plane pronuntiatae altera adiungitur forma mutata. At hoc loco enuntiatum „ne noceat" sententiam „patrem exoravi" supplet. Ea in re maxime esse consentaneum mihi videtur, secundam partem priori esse accommodatam, praesertim cum eadem illa pars falsam servi opinionem repellat, quod acerrime fit eadem qua Chrysalus utitur enuntiati formatione. Quae ratio commendatur Stich. vv. 253–255.

Atque similiter Poen. 601 sqq.: Et quidem quasi tu nobiscum adveniens hodie oraveris

Liberum ut *commostraremus* tibi locum et voluptarium,

Ubi *ames*, *potes*, *pergraecere*.

Pseud. 795 sq.: Quin ob eam rem Orcus recipere ad se hunc noluit

Ut *esset* hic qui mortius cenam *coquat*.

Cas. III, 5, 44: Id huc missa sum tibi ut *dicerem*,[1]) Ut *caveas*.

in priore quidem enuntiato secundario tempus subiecti primarii mente tenetur, sed in altero ab illo pendente temporis praesentis quo sententia etiam nunc valet cogitatio plus potest.

Recte Rothium explicavisse p. 2 sq. credo temporum varietatem Pl. Men. 784 sq.: quotiens tandem ego edixi tibi,

Ut *caveres*, neuter ad me iretis cum querimonia?

Men. 788: quotiens monstravi tibi, viro ut morem *geras?*

Illo enim loco senex tempus quo filia ad eum venit respicit (cfr. § 2 A Bacch. 676). Interrogatione autem filiae „Qui .... possum?" impulsus iterat praecepta quae per omne matrimonii tempus observanda sint.[2])

Huc pertinet

Mil. gl. 1057 sq.: quotiens hoc tibi, verbero, ego interdixi,

Meam ne sic volgo *pollicitarere* operam.

---

[1]) In cod. A „dice..m" cum spatio duarum litterarum legitur, quod ex „dicerem" corruptum esse in propatulo est, in B „dicam" est. Atque maiore auctoritate illius libri motus imperfectum cum A. Spengelio (Reformvorschläge, p. 359) praefero, quem in metro quoque versus secutus sum.

[2]) Kuehner. l. c. II, § 181. 4c, p. 782.

Codex vetus (B) „pollicitare", libri CDa „polliciteres", in D tertia manu in „pollicitares" mutatum, tradunt. Hac lectione „pollicitares" spreta ut efficiant coniunctivum, scribunt „pollicitere" Hermannus et Ritschelius, quos Fleckeisenus et Lorenzius secuti sunt. Sed imperfectum scripsisse Plautum mihi esse verisimilius videtur. Nam militi se reprehendere servum quod iussum suum neglexerit simulanti praeterita actio promittendi ante oculos versatur. Illud autem codicis Dc „pollicitares", quod probat Ribbeckius, quia dubito num verbum, „pollicito" in usu fuerit, reiciendum esse ratus cum Brixio equidem, ut omittam Scioppii „pollicereris" coniecturam, a Muellero „pollicitarere", emendante[1]) sto. Ex quo „pollicitare", lectio codicis B, facillime syllaba „re" semel a librario omissa fieri potuit.

Sententia secundaria non ex actionis primariae tempore enuntiatur (quod si fieret imperfectum poneretur), sed ad loquentis tempus refertur:

Men. 474 sq.: Pro di immortales, quoi homini umquam uno die
Boni dedistis plus, qui minus *speraverit?*

Pers. 79: (visam hesternas reliquias)
Opertaen fuerint, ne quis *obreptaverit.*

Poen. 986 sq.: nam qui scire potui, dic mihi,
Qui illim sexennis *perierim* Carthagine?

§ 4.

A perfecto historico, quod praeterito aliquid factum esse declarat, distinguendum est illud quo qui loquitur non tam actionem praeteritam quam eventum eius praesentem significat. Cui tempori est apud grammaticos nomen logico sive praesentiae perfecto. Sen-

---

[1]) C. F. W. Mueller, Plautin. Prosodie, p. 630.

tentia quae postulat coniunctivum secundaria, si tali perfecto subiecta est, ad praesentem revocata eventum coniunctivum praesentis et perfecti continet.

Quae tempora semper inveniuntur apud perfecta „*novi*“ et „*memini*“, quae praesentium „notus (-a, um) mihi est“ et „memoria teneo“ locum obtinent:

Pl. Aulul. 777 sq.: Si me novisti minus
Genere quo *sim* gnatus.

Mil. gl. 452: neque vos, qui *sitis* homines, novi
neque scio.

Trin. 283: Novi ego hoc saeculum, moribus quibus *sit*.
Cfr. Capt. 182, Mil. gl. 925.

Ter. Andr. 503: Non satis me pernosti etiam, qualis *sim*.

Adelph.: 572: locum novi ubi *sit*.
Cfr. Andr. 586, Eun. 349, Adelph. 177.

Pl. Aulul. 542: Qui habent meminerint sese unde
oriundi *sient*.

Rud. 1310; Ecquid memenisti, in vidulo
qui periit quid ibi *infuerit*.

Ter. Phorm. 224: Meministin, olim ut *fuerit* vestra
oratio...

Plerumque ad perfecta „*inveni*“ te „*repperi*“ coniunctivus praesentis accedit:

Pl. Epid. 288: Et repperi haec te qui *abscedat* suspitio.

Epid. 354 sq.: Nunc iterum ut *fallatur* pater tibique
auxilium *adparetur*,
Inveni.

Pers. 81 sq.: Omnem rem inveni, ut sua sibi pecunia
Hodie illam *faciat* leno libertam suam.
Cfr. Mil. gl. 767 sqq.

Ter. Phorm. 889: hoc qui *cogam*, re ipsa repperi.

quibus omnibus locis perfecta facile commutari possunt cum praesenti „scio“.

Pl. Epid. 440 sq.: Non repperisti, adulescens, tranquillum locum,
Ubi tuas virtutes *explices*...

„Repperisti“ aequale est „optines“.

Ter. Phorm. 522: Repperi qui *det* neque *lacrumet*.

[Quibuscum exemplis qui comparaverit hunc locum

Most. 715 sq.: Hoc habet: repperi qui senem *ducerem*,
Quo dolo a me dolorem procul *pellerem*.

ei mirum erit quod imperfecti coniunctivus adhibetur. Quod tempus recte Rothium explanasse (p. 10) mihi persuasum est. Servus enim aliquamdiu post verba antecedentia meditans, quia ad finem consilii veniens se ea quae cupiat assecuturum esse intellegit ita loquitur quasi dolus re vera iam bene evenerit. Quod ita esse maxime indicatur illa dictione „hoc habet“, quae ad praeteritam tantum actionem referri potest.[1]) Perfectum igitur „repperi“ est perfectum historicum, non praesentiae.[2])]

Pers. 325 sqq.: Nam iam omneis sycophantias *instruxi* et *conparavi*,
Quo pacto ab lenone *auferam* hoc argentum,
Et mulier ut *sit* libera atque ipse ultro *det* argentum.

Perfecta „instruxi et conparavi“ idem sunt atque „promptae mihi sunt.“

Mil. gl. 1269: *Induxi* in animum ne *oderim* item ut alias.

„Induxi in animum“ facile mutaveris cum „consilium mihi est.“

In versibus Mil. gl. 867:

Modo *intellexi* quam rem mulier *gesserit*.

Asin. 35: Modo pol *percepi*, Libane, quid istuc *sit* loci.

obversatur sententia „nunc scio“ sive „iam teneo“ cuius interpretationis argumento est Poen. 768:

iam teneo, quid sit: perspexi modo.

---

[1]) Cfr. locos, quos Lorenzius ad Most. 715 collegit.

[2]) Cfr. Andr. 603 et Rothium p. 10.

Ter. Phorm. 577: Quid gnato *obtigerit* me absente,
audisti?
Hec. 607: Quem cum istoc sermonem *habueris*,
procul hinc stans *accepi*, uxor.

Hoc loco quamquam participio „procul hinc stans“ praeterita actio accipiendi accuratius describitur, tamen praesens quae est eventus eius scientia in mente loquentis praevalet.

Pl. Mil. gl. 1097 sq.: *dixi* equidem tibi,
Quo pacto id fieri *possit* clementissume.

Palaestrio, quem quid faciat de concubina miles interrogat, hanc interrogationem supervacaneam esse respondet quod illud iam priore consilio (vv. 980 sqq.) ex sese sciat. „Dixi tibi“ igitur idem est atque „scis iam ex me.“ Quae ratio quam sit vera testari mihi videtur versus.

Poen. 547: *Scitis*, rem *narravi* vobis, quor vostra opera
mi opus *siet*

ubi praesens eventus, quem continet perfectum, verbo „scitis“ exprimitur. Atque huc sunt adiciendi versus

Pl. Curc. 608: *Dixi* equidem tibi unde ad me hic
pervenerit.
Amph. 744: Quis igitur nisi vos *narravit* mi illi
ut *fuerit* praelium?
Ter. Eun. 420 sq: Quo pacto Rhodium *tetigerim* in
convivio
Numquam tibi *dixi?*
Hec. 582: Nam mihi intus tuos pater *narravit*
modo, quo pacto me *habueris.*

Perfecta „*veni*“ et „*reveni*“ aequalia sunt „adsum“ hisce locis: Pl. Amph. 869 sq.: Simul Alcumenae....
.... veni ut auxilium *feram.*
Merc. 669: Reveni, ut illum *persequar* qui
me fugit.
Ter Adelph. 653 sq.: Is venit ut secum *avehat.*
..... virginem ut secum *avehat.*

Pl. Bacch. 369 sq.: quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes *reliquere* omnes, esse ut frugi *possiet.*
„nisi... omnes" eandem habet vim quam „nisi cui nullae spes reliquae sunt."

Rud. 611 sq.: Nunc quam ad rem *dicam* hoc adtinere somnium,
Numquam hodie *quivi* ad coniecturam evadere.

Daemoni sententiam secundariam eloquenti dictio aliqua praesentem ignorantiam significans ante oculos est. Itaque „numquam.... evadere" aequale est „mihi conicienti nondum liquet."

Capt. 493 sq.: Qui concilium *iniere*, quo nos victu et vita *prohibeant*,
Is diem dicam....

Esse nunc adulescentibus consilium maxime parasiti interest.

Curc. 371 sq.: *subduxi* ratiunculam,
Quantum aeris mihi *sit* quantumque alieni *siet.*
Sensus est hoc loco „ratiuncula scio".

Amph. 177 sq.: Rui hodie *fuerim* liber,
Eum nunc *potivit* pater servitutis.

Mercurius praesentem servitutis condicionem conqueritur, quare salva sententia pro „eum... servitutis" dici potest „Ego nunc sum servos patris".

Pers. 621: Servitus mea mi *interdixit* ne quid *mirer* meum malum.

Sensus est „servitus mea prohibet."

Ter. Heaut. 848 sq.: Jamne *oblitus es*,
Inter nos quid *sit* dictum de fallacia?

Adelph. 54: Ea ne me *celet*, *consuefeci* filium.
„Consuefeci filium" idem est atque „filio mos est".

Adelph. 476 sq.: Ille bonus vir nobis psaltriam, si dis placet,
Paravit, quicum *vivat.*
Hegionem quomodo praesenti res se habeat, exponere

elucet e verbis antecedentibus „mensis decumus *est*“ et e sequentibus „illam *deserit*“.

Eun. 544: Nunc mihi hoc negoti ceteri *dedere*, ut illam *quaeram*.

Sententia est „hoc negoti a ceteris mihi est“, quocum loco congruunt

Pl. Epid. 357 sqq.: Nunc cautorem
Dedit mi ad hanc rem Apoecidem...
Qui recte *caveat*.

Ter. Phorm. 602: An quia quos *fallam* pro uno duo *sunt* mihi *dati?*

Post *perfectum passivi* eadem saepissime consecutio temporum est quae post *adiectivum* cum *praesenti* verbi auxiliarii „esse“ coniunctum valet.[1])

Pl. Trucul. 776: Prope modum *expertae estis*, quam ego *sim* mitis...

Merc. 344: Neque is quom roget, quid *loquar*, *cogitatumst*.

Poen. 774 sq.: *Compositast* fallacia,
Ut eo me *privent* atque inter se *dividant*.

Ter. Andr. 892: *Adducti* qui illam hinc civem *dicant*.

Eun. 286 sq.: num nam hic *relictu's* custos,
Nequis forte internuntius clam a milite ad istam *curset?*

Phorm. 647: *inventast* quae dotem *petat*.

§ 5.

Sunt loci quorum tempora illa temporis quo quis loquitur ratione habita explicari non posse mihi videantur.

Pl. Asin. 442 sq.: Aibat reddere quom extemplo redditum esset:
Nam retineri, ut quod *sit* sibi operis *locatum efficeret*.

Is enim qui loquitur id tempus in quod „aibat cadit

[1]) Cfr. Holtzii syntaxis priscorum scriptorum latin. II, p. 91, ad Merc. 344 (II, 3, 10).

cogitatione tenet, quoniam sententia finalis „ut efficeret" ad illud tempus praeteritum refertur et pronomine reflexivo „sibi" enuntiatum effingitur sententia subiecti huius enuntiati finalis. Atqui cum tempori praeterito, quod „efficeret" significat, locatio antecesserit, plusquamperfecti coniunctivus exspectatur, ut

Bacch. 788: Orabat quod istic esset scriptum ut fieret.

Atque quominus librarium peccasse putemus, cum omnium codicum consensio tum praecipue similes loci ubi perfectum pro plusquamperfecto positum est (cfr. versum post hos tractatum), impediunt. Hoc tempus ita interpretor, ut perfectum, quod actionem significat ante loquentis tempus factam, hac ad loquentis tempus relatione obscurata omnino actionem ante id tempus quod qui verba facit mente tenet factam in enuntiatis pendentibus sermonis cotidiani exprimere posse contendam. Itaque hoc perfectum naturam plusquamperfecti attingit sicut in vernacula lingua.[1]) Quod confirmari mihi videtur imprimis hoc loco:

Amph. 745 sq.: Quippe qui ex te audivi, ut urbem maxumam
Expugnavisses regemque Pterelam tute *occideris*.

Quos versus Brixius[2]) illis adnumerat, in quibus poeta metro cesserit. At ut hanc difficultatem metricam evitaret, quid est cur poeta „expugnaveris" non scripserit. Metrum obstitisse nemo erit qui dicat. Neque sententia prohiberi potuit, ne perfectum „audivi", sicut „narravit" antecedentis versus, pro perfecto praesentiae haberet. Quod autem Wetzelius[3]) plusquamperfectum positum esse

---

[1]) Exempli causa: ich fragte, ob er ihn gesehen habe sive .... gesehen hätte.

[2]) in comment. Mil. gl. adv. 131.

[3]) l. c. p. 12 sq., n. 3.

contendit „quoniam expugnatio antecesserit actioni praeteritae occidendi“, vehementer errat, quia ut versibus 252—260 apparet, urbs expugnata est postquam rex erat interfectus. Atque ne quis menti Alcumenae alium rerum gestarum ordinem obversari dicat: poeta Alcumenam verum accurate dicentem faciat necesse est, quoniam ipsa eius scientia admirationem Amphitruonis augeri vult. Itaque nihil aliud nisi duo illa facinora sine ulla temporis distinctione memorat Alcumena. Cum igitur Plautus plusquamperfecto eodem modo atque perfecto actionem tempore audiendi praeteritam significet, eum vero sibi ipsum metricam difficultatem parasse absurdum sit, per sermonem cotidianum licitum esse concludo pro coniunctivo plusquamperfecti coniunctivum perfecti ponere. Cuius rei tertium ex Plauto exemplum afferam in § 9, Bβ, Epid. 414.

Apud Terentium unus huc attinens locus invenitur Andr. 967 sq.: More hominum evenit, ut quod *sim* [1]) *nanctus* mali
Prius *resciasceres* tu quam ego illut quod tibi evenit boni.

In quorundam versuum tempore interpretando ad Lorenzium et Brixium metri causa praesens pro imperfecto adhiberi dicentes me applico. Qua in ratione maxime me movet, quod praesentis forma iambica vel cretica in senariis locum tenet ultimi pedis.

Cist. I, 3, 20 (166) sq.: observavit servos, ...
Quo aut quas in aedis haec puellam *deferat.*

Mil. gl. 131 sq.: Dedi mercatori quoidam, qui ad illum *deferat*,
Ut is huc veniret.

---

[1]) Haec forma omnibus libris stabilitur, ut Flekeiseni coniectura „sum“ mihi non probetur. Cfr. Rothe, p. 8.

Rothius multis de hoc loco disputans (p. 25 sqq.) „deferat", quod 'libero iudicio et arbitrio' pro „detulerit" positum sit, usurpare poetam, quo re vera a mercatore tabellas esse delatas indicetur, putat (p. 31). Sed cur Plautus indicativum perfecti, quo manifestius nulla verbi forma illam sententiam expressisset et quamquam „detulit" aptissimum erat ad metrum, neglexit? An quia, ut Rothius (p. 33) coniunctivum interpretatur (qui = et tali qui), significare vult qualis fuerit mercator? Quod tam levis momenti est, ut poetam, quo maior esset sententiae perspicuitas atque facilior metri constructio, indicativum praelaturum fuisse persuasum habeam. Quae ratio me quidem cogit, ut consilium actionis primarii contineri enuntiato relativo credam. Atque cum actio deferendi in praeterito sit, praesentis coniunctivi pro imperfecto positi nihil aliud est causa nisi metri necessitas. In sequentibus autem verbis:

Is non sprevit nuntium.
Nam et venit .....

Palaestrionem id quod longe maxime refert distincte commemorare consentaneum est, praesertim cum verbis „non sprevit nuntium" mercatorem perfecisse mandatum satis significetur. Non igitur praesentis coniunctivo, ut putavit Rothius, sed verbis sequentibus indicatur re vera delatas esse litteras.

Omnino vero in narratione cum imperfecto et perfecto enuntiati regentis coniunctivum praesentis historici a Plauto et Terentio e sermonis usu conexum esse nego. In omnibus enim exemplis a Rothio allatis praesentia aut propriam habere vim contendo[1]) aut metro

[1]) Cfr. de Ter. Eun. 261 § 9A, γ, 2; de Eun. 517 § 6. II, A. Sed Cist. II, 3, 25 sq. (402):
Anus amplexa est genua plorans, obsecrans
Ne deserat se.
scrupulum inicere potest, quia „desereret" metro non repugnaret.

coactum poetam ea scripsisse. Unum locum se repperisse putat, ubi salvo metro post perfectum poni potuerit imperfectum usitatius:

Ennii ann. 252 sqq. (ed. Vahlen):

multa tenens antiqua sepulta, vetustas
Quem fecit mores veteresque novosque tenentem,
Multorum veterum leges divumque hominumque;
Prudenter qui dicta loquive tacereve *possit*:
Hunc inter pugnas Servilius sic *compellat*.

At, ut „posset“ in parte librorum tradi omittam, praesens suo est loco, sive qui enuntiatum „prudenter .... possit“ cum sententia „quem fecit .... hominumque“ coniungunt sive eodem modo atque hanc ab enuntiato primario „hunc ... compellat“ pendere existimant: Enuntiati „prudenter .... possit“ tempus, quomodocumque se res habet, cum tempore enuntiati primarii „hunc .... compellat“ congruit. Atque una cum hac sententia illa quoque repraesentatur.

§ 6.

Praesens quod dicitur historicum hoc demum loco tractandum mihi proposui, quia in eo tempus praesens cum perfecto commixtum est. Qua forma is qui verba facit praeteritam actionem ita narrat, quasi suo ipsius tempore atque se spectante vel agente fiat.

Itaque sententia quae accedit secundaria aut una cum actione primaria ad loquentis tempus aut repraesentatione omissa ad praeteritum, verum actionis tempus, revocari potest.

I. Apud Plautum cum praesenti historico longe plerumque coniunctivus praesentis et perfecti coniungitur. Testis est hic numerus exemplorum:

Meo quidem iudicio praesentis coniunctivus eo ponitur, quod participiis praesentis efficitur repraesentatio ut eadem sit sententia ac si „plorat, obsecrat“ dicatur.

A. Praesens sequitur vel perfectum.

Amph.
205: Telebois iubet sententiam ut dicant suam.
240: Animam omittunt priusquam loco demigrent.
1069: accurro, ut sciscam quid velit.
1093: Invocat deos immortalis, ut sibi auxilium ferant.

Capt.
510 sq.: Rogo Philocratem ex Alide
Ecquis hominum noverit.
513: orat obsecratque eum sibi videre ut liceat.

Curc.
330: argenti rogo uti faciat copiam.
361 sq.: Deduco pedes de lecto clam, ne miles sentiat.
Rogant me servi quo eam.
Cfr. 339, 340 sq., 355.

Mil. gl. 116: Inscendo, ut eam rem Naupactum ad erum nuntiem.

Most. 1049: Capio consilium, ut senatum congerronum convocem.

Rud. 605: Ago cum illa, ne quid noceat meis popularibus.

Stich. 366 sq.: Dum percontor portitores, ecquae navis venerit.
Ex Asia ....: conspicatus sum ....

B. Imperfecti coniunctivus legitur:

Bacch. 290 sq.: quoniam sentio
Quae res gereretur, navem .....

Bacch. 301 sq.: Auferimus aurum omne illim illis praesentibus
Palam atque aperte, ut illi id factum sciscerent.

Merc. 90 sqq.: Servom una mittit, ...
.... quasi uti mihi foret
Custos.

Amph. 225 sq.: Convenit ......
Urbem, agrum, aras, focos, seque uti dederent.

II. Apud Terentium autem totidem fere loci ubi coniunctivus imperfecti sequitur praesens historicum inveniuntur quot quibus praesentis coniunctivus.

Nonnulla utriusque generis exempla afferam:

A. Andr. 355: percurro ad forum, ut dicam haec tibi.
Eun. 578: Edicit ne vir quisquam ad eam adeat.
Phorm. 93: Rogamus quid sit.
Eun. 517: Ubi friget, huc evasit, quam pridem pater
Mihi et mater mortui essent. dico iam diu.
Rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari.

Repraesentatio, quae verbo „dico" fit, cogitatione praeteriti (evasit) excidente ad sententiam secundariam „rus... mari" vim habet.[1])

B. Eun. 581 sq.: paucae, quae circum illam essent, manent.
Noviciae puellae.
Heaut. 651 sq.: Detraho et eum dico ut una cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

---

[1]) Ad verba interiecta, non ad enuntiatum primarium sententia secundaria applicatur
Eun. 570 sqq.; *summonuit* me Parmeno
Ibi servos, quod ego arripui, Ant.: Quid id *est?*
Ch.: .... Ut vestem cum eo *mutem* et ... *iubeam* ...
Deinde ad tempus verbi regentis „summonuit" reditur:
Ant.: Quid ex ea re tandem ut *caperes* commodi?
Ch.: Rogas? *viderem* ...

Post praesens historicum cum particula „*dum*" coniunctum Terentius adhibet imperfecti coniunctivum: Heaut. 491 sq.:

Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis,
Dum id quaero, tibi qui filium restituerem.

Adelph. 868: heia autem, dum studeo illis ut quam plurimum
Facerem, contrivi.....

§ 7.

In enuntiatis secundariis cum coniunctivo construendis quae cum irrealibus sententiis ad praesens tempus pertinentibus cohaerent, imperfecto regente imperfecti coniunctivus ponitur, nisi actiones eorum re vera fieri cogitatur.

Pl. Asin. 674 sq.: si hoc meum esset, hodie
Numquam me orares quin *darem.*

Bacch. 554 sq.: Nam ni ita esset, tecum orarem ut ei quod posses mali
Facere *faceres.*

Ter. Andr. 606: Utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me praecipitem *darem.*

Eun. 91 sqq.: utinam esset mihi
Pars aequa amoris tecum ac pariter fieret,
Ut aut hoc tibi *doleret* itidem ut mihi dolet
Aut ego istuc abs te factum nihili *penderem!*

Hec. 756 sq.: Faciam, quod pol, si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio,
Ut de tali causa nuptae mulieri se *ostenderet.*

In versibus autem Pseud. 3 sqq.:

Si ex te tacente fieri *possem* certior,
Ere, quae miseriae te tam misere *macerent*,
Duorum labori ego hominum parsissem lubens.

praesentis coniunctivus usurpatur, quia servus veram

sollicitudinem eri videt. Rerum de veritate is qui loquitur cogitat in versibus quoque Ter. Heaut. prol. 7 sqq.:

nunc qui *scripserit*
Et cuia Graeca *sit*, ni partem maximam
Existimarem scire vestrum, id *dicerem*.

Apud Plautum in condicionalibus enuntiatis irrealibus interdum praesentis coniunctivus pro imperfecti invenitur, quem usum maxime probabiliter tractavit P. Langen.[1]) Atque si ad eiusmodi praesens enuntiatum secundarium coniunctivum postulans accedit, praesentis aut imperfecti coniunctivus adhibetur.

Aulul. 523: Conpellarem ego illum, ni *metuam* ne *desinat*.

Poen. 1251 sq.: primum si id fieri *possit*
Ne indigna indignis dei *darent*, id ego evenisset vellem.

Facile „poss*it*" pro „poss*et*" librariorum neglegentia scriptum esse putaveris. Quod crederem, nisi et omnes alii codices et Ambrosianus (A) ut maxime videtur „possit" praeberent atque alibi essent loci, ubi eodem modo post praesens sequeretur imperfectum.[2])

Recte Spengelius coniunctivum praesentis interpretari mihi videtur Adelph. 316 sq.:

Sublimem medium arriperem et capite pronum in terram *statuerem*,
Ut cerebro *dispergat* viam.

Toto enim loco cogitata effingere et irrealia poetae licuit et talia quae, cum familia servo obviam dari posset, effici possent. Itaque, prout metrum postulat, praesentis coniunctivo (in versibus 313, 317) et imperfecti (in vv. 314—316, 318 sq.) utitur.

---

[1]) Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, p. 52 sq.

[2]) Cfr. I. Rothheimer, de enuntiatis condicionalibus Plautinis, diss. a. 1876, p. 47 sqq.
Duo attulit exempla ex Lucretii libro I: 356, 645.

§ 8.

Si sententia primaria futurae actionis significatio continetur, in enuntiato secundario coniunctivum postulanti praesens vel perfectum usurpatur. Is enim qui loquitur ex futuro primarii tempore iudicat eoque actionem secundarii eodem quo primarii tempore fieri exprimit praesenti, eam autem antecessisse perfecto. Neque ullo loco ab hoc usu disceditur. Quem ad illustrandum e magno exemplorum numero nonnulla oculis legentium subiciam:

A. Futurum sequitur

α. praesentis coniunctivus:

Pl. Aulul. 802: Ibo intro, ut quid huius verum sit sciam.

Curc. 45: Minus formidabo ne excidat.

Truc. 708: Nunc speculabor quid ibi agatur, quis eat intro...

Men. 518 sq.: Numquam edepol quisquam me exorabit quin tuae.
Uxori rem omnem iam, ut siet gesta, eloquar.

Ter. Andr. 313: impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies.

Heaut. 557 sq.: De istoc, cum usus venerit,
Videbimus quid opus sit.

Phorm. 313: Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient.

β. perfecti coniunctivus.

Epid. 371 sq.: Iam ego parabo
Aliquam dolosam fidicinam, nummo conducta quae sit.

B. *Futurum II.* (praeteritum futuri) eadem sequuntur tempora.

Pl. Aulul. 204 sq.: ubi mentionem ego fecero de filia
Mi ut despondeat, ...

Men. 270 sq.: Id utrumque, argentum quando habebo, cavero,
Ne tu delinquas neve ego irascar tibi.

Pers. 135 sq.: Immo alium adlegavero,
Qui vendat, qui esse se peregrinum praedicet.
Ter. Andr. 381 sq.: dictum ac factum invenerit
Aliquam causam, quam obrem eiciat oppido.
Heaut. 108: Ego quod me in te sit facere dignum invenero.

§ 9.

Investiganti quae sit convenientia temporum in iis enuntiatis quae reguntur infinitivis, inter perfecti infinitivum et praesentis ac futuri est discernendum. Nam cum infinitivum perfecti eadem quae ipsum perfectum tempora plerumque quidem sequantur, praesentis et futuri infinitivus modo praesentis modo praeteriti vim habet.

Infinitivum enim praesentis eodem quo actio verbi infinitivum regentis tempore aliquid fieri, infinitivum futuri actioni verbi regentis aliam esse successuram significare constat. Itaque utriusque infinitivi tempus cum tempore verbi regentis artissime cohaeret eoque definitur, qua ex re efficitur, ut cum huius verbi tempore tempus enuntiati secundarii concordare necesse sit.

Quam legem apud Plautum et Terentium valere exemplis confirmabo.

A. Atque primum quidem talia exempla afferam, in quibus enuntiatum secundarium cum praesentis infinitivo coniunctum sit

α. A praesenti pendet infinitivus:

Pl. Asin. 149 sq.: ne id quidem me dignum esse existumat
Quem adeat, quem conloquatur quoique irato supplicet?
Mil. gl. 72: Videtur tempus esse, ut eamus ad forum.
Stich. 419 sq.: scio scire te
Quam multas tecum miserias mulcaverim.

Stich. 253 sqq.: *Gelas.:* Qnid igitur me volt?
Croc.: Tritici modios decem
Rogare opinor. *Gelas.:* Mene, ut ab sese *petam?*
Croc.: Immo ut tu a vobis mutuom nobis *dares.*

Enuntiata „ut.. petam" et „ut.. dares" ex sententia mente addenda „rogare volt" suspensa sunt. „Dares" quamquam omnes libri cum Ambrosiano hanc lectionem tradunt, pro praesentium formis „duis" sive „dates" irrepsisse Bothius, Ritschelius, Fleckeisenus, Seyffertus suspicati sunt. Sed tantum abest ut hanc suspicionem probem, ut illis coniecturis ludibriosum quasi colorem detergeri existimem. Nam ancilla imperfecti coniunctivo significare mihi videtur, Gelasimum, istum pauperculum parasitum, cum ipse nihil habeat, quo famem depellat, illos tritici modios numquam daturum esse. Sententia igitur perfecta haec est: „Immo rogare volt, ut tua vobis mutuom nobis dares *si quid haberes*!" Itaque recte Goetzium in novissima sua Ritschelianae editionis recognitione ad codicum scripturam rediisse arbitror. Cfr. § 1, 3.

Ter. Andr. 307 sq.: Quanto satiust te id dare operam qui istum amorem.. amoveas,
Quam id loqui, quo magis libido frustra incendatur tua.

Eun. 1010: Non possum satis narrare, quos ludos praebueris intus.

β. Infinitivus praesentis coniungitur cum futuro.

Pl. Amph. 1015: Nunc domum ibo atque... pergam exquirere,
Quis fuerit quem propter...

Ter. Andr. 196 sq.: Si sensero hodie quicquam in his te nuptiis
Fallaciae conari, quo fiant minus,....

γ. Verbi regentis actio est praeteriti temporis.

1. *imperfecti.*

Pl. Pseud. 492 sq.: Quia nolebam ex me morem progigni malum
Erum ut suum servos criminaret aput erum.

Trin. 212 sqq.: Omnis mortalis hunc aiebant Calliclem
Indignum civitate ac sese vivere,
Bonis qui hunc adulescentem evortisset suis.

Ter. Phorm. 89 sq.: hic solebamus fere
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.

Phorm. 596 sq.: Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
Ubi Phaedriae... ostenderet....

Eun. 930 sqq.: It verost quod ego mihi puto palmarium
Me repperisse quomodo adulescentulus
Meretricum ingenia et mores *posset* noscere
Mature ut cum cognorit perpetuo *oderit.*

Cfr. de „oderit“ § 3 et § 9, A. γ 2

2. *perfecti.*

Pl. Amph. 880 sq.: Mercurium iussi me continuo consequi,
Siquid vellem imperare.

Aulul. 371 sq.: Volui animum tandem confirmare hodie meum,
Ut bene me haberem filiai nuptiis.

Ter. Eun. 870 sq.: studui tradere,
Ut solidum parerem hoc mi beneficium, Chaerea.

Andr. 660 sq.: numquam destitit.
Instare, ut dicerem me ducturum patri.

Pl. Bacch. 1082 sq.: Ego dare me meo gnato *institui,*
ut animo obsequium sumere *possit.*

„Institui“ perfectum praesentiae est et idem atque „mihi consilium est“. Cum igitur „dare me ...“ ad

praesens consilium referatur, praesentis coniunctivus cum infinitivo conectitur. Eadem est ratio

Ter. Heaut. 147 sq.: *Decrevi* tantisper me minus iniuriae,
Chremes, meo gnato facere, dum *fiam* miser.

„Decrevi" dictum est ut „in ea sententia sum."

Infinitivus autem praesentis perfecto „memini" subiectus non ad praesentem huius perfecti eventum refertur, sed cum praeterita quae est in perfecto actione [1]) coniunctus tum simul aliquid esse factum vel fuisse significat. Itaque enuntiata quoque secundaria infinitivo adiuncta ad praeteritum illius actionis tempus revocari consentaneum est:

Pl. Pers. 118 sq.: *Memini*...
Et te me orare et mihi non esse quod *darem*.

Ter. Heaut. 626 sq.: *Meministin* me esse gravidam
et mihi te maxumo opere edicere
Si puellam *parerem*, nolle tolli?

Tempora praeterita, ut supra (§ 3) expositum est, sequi potest praesentis coniunctivus in iis enuntiatis quorum sententiae etiam dicentis tempore valent. Atque ita interpretor tempus hisce in versibus:

Pl. Bacch. 575 sq.: Nunc me ire *iussit* ad eam et percontarier,
Utrum aurum *reddat* anne *eat* secum semul.

Men. 453 sq.: Non ad eam rem hercle otiosos homines *decuit* deligi,
Qui nisi adsint quom citentur, census *capiant* ilico?

Mil. gl. 971 sq.: Nunc te orare atque obsecrare *iussit*, ut tui copiam
Sibi potestatemque *facias*.

---

[1]) Cfr. Haase ad Reisigii „Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft", not. 454.

Pseudol. 597 sq.: ita erus meus mihi miles *dixit*,
Septumas esse a porta aedis, ubi illic *habitet*[1])
quoi....

Ter. Andr. 687: Orare *iussit*, si se ames, era, iam ut
ad sese *venias*.

Eun. 262 sqq.: sectari *iussi*,
Si potis est, tanquam philosophorum habent
disciplinae ex ipsis
Vocabula, parasiti ita ut Gnathonici *vocentur*.

Phorm. prol. 6 sqq.: Quia nusquam insanum *scripsit*...
..... orare ut *subveniat* sibi.

Luscii fabula, in qua hoc agebatur, tum exstabat.

Hec. 345: Tum filius tuos *intro iit* videre, ut venit,
quid *agat*.

In versibus Pl. Amph. 1122 sq.:
Is se *dixit* cum Alcumena clam consuetum
cubitibus
Eumque filium suom esse, qui illos anguis
vicerit.

ut verbis „dum haec aguntur" versus 1120. apparet, inter vincendum Jovem dixisse primo quidem cogitatur. In versu autem 1123 hac cogitatione omissa ex praesenti tempore ad quod infinitivus „esse" spectat dicitur. Quae ad praesens relatio nisi in mente narrantis fieret quid est quod „vinceret" positum non sit? Imperfectum enim neque a metro neque, ut modo demonstravi, a sententia alienum esset.

3. *plusquampexfecti.*

Pl. Curc. 425 sq.: Quod istic scriptumst, id te orare
iusserat
Profecto ut *faceres*, suam si velles gratiam.

---

[1]) Sic Ritschelius Fleckeisenus Goetzius pro codicum „habit*at*" scripserunt.

[Fleckeisenus „scriptumst" ex „scriptum esset" corruptum esse ratus in textum hoc recepit. Quae coniectura quamobrem sit necessaria non intellego, cum a sermone cotidiano non abhorreat hanc sententiam ut suam pronuntiare Curculionem. Quod probatur versibus

Pl. Bacch. 953 sqq.: Ilio tria fuisse audivi fata, quae illi forent exitio:
Signum ex arce si periisset: alterum etiam*st* Troili mors:
Tertium quom portae Phrygiae limen superum scinderetur.

ubi eodem modo qui loquitur id quod ex alio audivit tamquam suam pronuntiat sententiam (etiam(e)*st*).]

Trin. 119—122:
Ei rei operam dare te fuerat aliquanto aequius,
Si qui probiorem facere *posses*, non uti
In eandem tute *accederes* infamiam
Malumque ut eius cum tuo *misceres* malo.

Ter. Eun. 699: quis *esset* umquam audieram dicier.

4. *praesentis historici.*

Pl. Asin. 343 sq.: Verum in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier.
Ecquem filium Stratonis *noverim* Demaenetum.

Cist. I, 3, 35 (181) sq.:
Iubet illum eundem persequi, si qua *queat*
Reperire, quae sustulerit.

Rud. 601 sq.: Videtur ad me simia adgredirier,
Rogare scalas ut *darem* utendas sibi.

Trin. 14: Quoniam ei, qui me *aleret*, nil video esse relicui.

Cfr. Aulul. 318 sq., Capt. 365 sqq., Men. 524 sqq., Merc. 240.

Ter. Hec. 115 sq.: Amabat, ut cum maxime, tum Pamphilus,

Cum pater uxorem ut *ducat* orare occipit.
Conf. Hec. 126 sq.

Heaut, 304 sq.: Ubi dicimus redisse te et rogare uti
Veniret ad te, ...

B. Eadem ratione tempus sententiae secundariae quae futuri infinitivo regitur ad verbi infinitivum regentis tempus accommodatur.

Atque in iis enuntiatis compositis quorum et primariae et secundariae sententiae in recta oratione futuri indicativum habent, si ita pendent ut primaria enuntiata infinitivis sint exprimenda, in enuntiatis secundariis post praesens verbi regentis pro futuro primo coniunctivus praesentis, pro futuro secundo coniunctivus perfecti adhibetur, post praeteritum autem coniunctivus imperfecti et plusquamperfecti.

α. Infinitivus pendet a praesenti.

Pl. Mil. gl. 1414 sq.:
Iuro per Iovem et Mavortem, me nociturum nemini
Quod ego hic hodie *vapularim*.

Asin. 528 sq.: An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi
Te facturum divitem si *moriatur* mater sua?

Versum alterum in libris, in quibus „moritur" est, una syllaba carentem ed. Aldina additamento „esse" post „divitem" supplet. Qua facilior et etiam necessaria, quia pronomen reflexivum „sua" sententiam significat subiecti enuntiati regentis ideoque coniunctivus usurpandus erat, illa emendatio est Pyladis, quem recentiores editores secuti sunt.

Asin. 612: Nam quid me facturam putas, si istuc quod dicis faxis?

Ter. Hec. 398 sq.: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod veri similest, ex te recte eum natum putent.

Hec. 261 sq.: Neque adeo clam me est, quam esse eum graviter laturum credam,
Hoc si rescierit.

Adelph 382 sq.: Utrum studione id sibi habet an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum?

β. Enuntiati regentis actio in praeteritum cadit.

Pl. Amph. frgm. V: Quid minitabas te facturum si istas pepulissem foras?

Asin. 363 sq.: Mihi tibique interminatust nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minae.

Curc. 667 sqq.: Quia enim ille ita repromisit mihi
Si quisquam hanc liberali adseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.

Praesentis infinitivus pro futuri, ut Pseud. 778, 1118; Merc. 422, Ter. Andr. 613, celeriter atque certo factum iri indicat.

Bacch. 1028 sqq.: Ego iusiurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
Priusquam a me abiret.

Cfr. Curc. 709: Amph. 946 sqq.; Rud. 405; Cas. II, 5, 15 (302) sq.

Amph. 205 sqq.:
Telebois *iubet* sententiam ut dicant suam:
Si sine vi et sine bello *velint* rapta... tradere
Si quae asportassent *redderent*: se exercitum...
Reducturum...

Hoc loco duplici praesentis historici natura duplex efficitur consecutio temporum.

Ter. Hec. 586 sq.: Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo *decrevi* patre
Ne mea praesentia *obstet* neu causa ... *restet* ...

„Decrevi“ est perfectum logicum eiusque sensus „consilium est mihi.“

Non ad verbi regentis tempus, sed ad eius qui loquitur quia sententia secundaria praesenti quoque tempore valet revocatur enuntiatum secundarium:

Bacch. 856: *Dixin* tibi ego illum te inventurum qualis *sit?*

Merc. 422: *Dixit* se redhibere, si non *placeat.*

Offendit autem coniunctivus perfecti

Epid. 414 sqq.: Te pro filio
Facturum *dixit* rem esse divinam domi,
Quia Thebis salvos *redierit.*

ubi plusquamperfectum „rediisset" exspectatur. Numerum versus respicientem Plautum posuisse perfecti formam censeo. Sedtamen hac causa ita tantum moveri potuit, si ex perfecto et plusquamperfecto illud eligere per usum licebat, quoniam „rediiset" quoque forma metro respondebat. Itaque perfectum explicandum esse credo ea ratione quam proposui in § 5.[1])

C. Ea enuntiata secundaria coniunctivum postulantia, quae ab infinitivo perfecti suspensa sunt, in duo genera sunt distribuenda: alia est convenientia temporum, si praesenti vel futuro regitur infinitivus perfecti, alia, si verbi regentis actio est praeteriti temporis.

I. *Praesenti vel futuro regente* in enuntiatis secundariis infinitivo perfecti subiectis ea tempora adhibentur, quae etiam recta oratione ponuntur.[2])

α. Cum infinitivo perfecti historici coniungitur

1. praesens.

Pl. Aulul. 743: At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo *enicem.*

Praesens hoc loco explicandum est eodem modo quo in § 3.

---

[1]) Metri necessitatem fuisse arbitror causam perfecti pro plusquamperfecto positi Ter. Heaut. 279 sq.; Pl. Merc. 61.

[2]) Cfr. Kuehner, II, § 181, 5, pag. 783.

2. perfectum.

Pl. Mil. gl. 1167: (Dicas) Hinc senem abs te abisse, postquam *feceris* divortium.

Rud. 401: At ego etiam (sc. scio) qui *speraverint* spem decepisse multos

Stich. 555: Videlicet parcum fuisse illum senem, qui id *dixerit*.

Stich. 557 sq.: Videlicet inaequom fuisse illum adulescentem qui ilico,
Ubi ille poscit, *denegarit*....

Ter. Phorm. 722 sq.: (dicat) quantum is *voluerit*,
Datum esse dotis.

Phorm. 875 sq.: sed me censen potuisse omnia
Intellegere extra ostium, intus quae inter seve ipsi *egerint?*

Andr. 664: Nisi mihi deos satis scio fuisse iratos qui *auscultaverim*.

Pl. Asin. 913: mandata dicam (fut.) facta ut *voluerit*.

3. imperfectum et plusquamperfectum.

Pl. Aulul. 470 sq.: Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos coquos,
Si id palam *fecisset*.

Epid. 508 sq.: Stratippoclem aiunt, Periphanai filium,
Absentem curavisse ut *fieret* libera.

Capt. 253: Edepol tibi ne in quaestione *essemus* cautum intellego.

Ter. Andr. 699 sq.: Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat,
Quominus haec *fierent* nuptiae, volo.

Eun. 930 sqq.: It verost quod ego mihi puto palmarium
Me repperisse, quo modo adulescentulus
Meretricum ingenia et mores *posset* noscere.

Heaut. 816 sq.: Ne me istuc ex te prius audisse gaudeo,
Quam argentum *haberes*.....

Hec. 434 sq.: vovisse hunc dicam, si salvos domum
Redisset umquam, ut me ambulando *rumperet*·

Pl. Capt. 684 sqq.: At erit mi hoc factum mortuo memorabile

— — — — — — — — — — — — —

Meumque potius me caput periculo
Praeoptavisse quam is *periret* ponere.

Mil. gl. 800 sq.: a tua mi uxore dicam delatum et datum,
Ut sese ad eum *conciliarem*.

β. Infinitivus est inf. *perfecti logici*.

Pl. Epid. 580: Nego eam me *novisse*, quae *sit*.

Trin. 953: Qui quidem non *novisse* possim, quicum aetatem *exegerim*.

Bacch. 864: Faxo se haud dicat *nactam*, quem *derideat*

Sententia praevalere mihi videtur „habere me eum...“

Merc. 253 sq.: nisi capram illam suspicor
Iam me *invenisse* quae *sit* aut quid *voluerit*.

Ter. Andr. 407 sq.: Orationem sperat *invenisse* se
Qui *differat* te.

Non alia est temporum consecutio, si sententia regens perfecto praesentiae exprimitur:

Capt. 248: Atque ut qui *fueris* et qui nunc *sis meminisse* ut memineris.

Infinitivus „meminisse“ non alium atque „meminerit“ sensum continet, qua iteratione ut diligenter atque perpetuo Tyndarus memor ist graviter monetur.

Poen. 557 sqq.: non *meminisse* nos ratu's,
Quomodo trecentos Philippos Collabisco vilico
Dederis, quo....?

„Ratu's“ usurpatur ita ut „(ratione adhibita) in ea sententia es.“

II. Si *verbum regens* significat actionem *praeteritam*, *imperfectum tantum* et *plusquamperfectum* in enuntiatis secundariis cum inf. perfecti coniunctis ponuntur. Atque testis est

Pl. Merc. 67 sq.: atque extemplo inde, ut *spectavisset* peplum,
Rus rusum confestim exigi *solitum* a patre.

Merc. 73 sqq.: Postquam *recesset* vita patrio corpore,
Agrum se *vendidisse* atque ea pecunia
Navem, metretas quae trecentas *tolleret*,
Parasse, atque ea se mercis vectatum undique
. . . .
Adeo dum, quae tum haberet, *peperisset* bona.

qui loci pendent ex dicendi significatione infinitivi historici „negitare" v. 55 pro *imperfecto* positi.

Ad § 1. 3 addendus est versus Ter. Andr. 258:
Quod si ego rescissem id prius, quid *facerem*, si quis nunc me roget.

Index locorum.

THESES

QUAS UNA CUM DISSERTATIONE

QUAE INSCRIBITUR

DE CONSECUTIONE TEMPORUM PLAUTINA ET TERENTIANA

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA

MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILISOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE *XIII.* MENSIS JULII A. *MDCCCLXXXVIII*

(HORA ANTEMERIDIANA XI)

IN PUBLICO DEFNDET

ADOLPHUS WIRTZFELD

SIEGBURGENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

BERNHARDUS BAEDORF, CAND. PHIL., SEM. REG. SOD. ORDIN.

MAXJMILIJANUS GORGES, CAND. HIST.,

GEORGIUS SALGENDORFF, CAND. PHIL.

THESES.

I.

Totus versus Ter. Eun. 390:

> Numquam defugio auctoritatem. Sequere:
> di vortant bene.

Parmenoni servo attribuendus mihi videtur.

II.

Jus militiae auspicandi lege curiata datum quotienscumque magistratus inter rem gerendam pomerium intrabat, non interibat, sed totum rei foris gerendae tempus continenter valebat.

III.

Soph. Oed. tyr. 1031:

pro *τί δ' ἄλγος ἴσχοντ' ἐν κ α ι ρ ο ῖ ς [με] λαμβάνεις;*

codicis Laurentiani A. conicio:

τί δ' ἄλγος ἴσχοντ' ε ὐ χ ε ρ ή ς με λαμβάνεις;

IV.

Cum Nauckio Eur. Androm. 141 sqq. interpungendum esse censeo:

οἰκτροτάτα γὰρ ἔμοιγ' ἔμολες, γύναι Ἰλιάς, οἴκους
δεσποινῶν ἐμῶν· φόβῳ δ'
ἡσυχίαν ἄγομεν, κτλ.

VITA.

Natus sum Adolphus Wirtzfeld Siegburgiae anno MDCCCLXIII patre Adolpho, matre Catharina e gente Cremer, quorum utrumque integris viribus uti summo me afficit gaudio. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus progymnasium patriae, de quo Dr. vorm Walde tum rector, nunc illo ludo gymnasio facto director optime meritus est, septem annos frequentavi. Deinde in gymnasio cui ab augustissimo imperatore Guilelmo cognomen est Coloniensi, quod Dr. Guil. Schmitzio directore etiamnum floret, testimonium maturitatis assecutus sum.

Anno MDCCCLXXXIV in numerum civium universitatis Bonnensis inscriptus per bis senos menses lectionibus professorum Buecheler, Neuhaeuser, Usener, Klein interfui. Atque postquam Tuebingiae Rhode, v. Schwabe, Sievers, Berolini Hirschfeld, Huebner, Kirchhoff, Zeller senos menses audivi, abhinc duos annos civis Academiae regiae Monasteriensis factus sum, ubi Hagemann, Langen, Lehmann, Lindner, Niehues, Stahl, Storck me docuerunt. Seminarii regii sodalis extraordinarius fui.

Omnibus his viris doctissimis, imprimis Langen, summas habeo gratias atque ago.